



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari provenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

Cap. I. An in religioso statu necessarius sit aliquis Prælatus iurisdictione
pollens, & unde illiam habeat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)



LIBER SECVNDVS.

DE RELIGIOSIS QVATENVS PRÆLATI SVNT,
& eorum obligationibus, vt sic.

POST explicatam essentiam, & præcipua vincula, status religiosi, dicendum de cæteris obligationibus, & proprietatibus eius. Ad hoc autem oportet gradus personarum, ex quibus religiosa congregatio coalescit, distinguere, & sigillatim considerare, quia pro diuersitate eorum, diuersa est obligatio, & in quibusdam earum personarum oritur, ex respectu ad alias. Ad duo autem capita possunt dictæ personæ reuocari, Prælatos scilicet, & subditos. Primum vero occurrit Prælatorum consideratio, quia & præcipui sunt, & post doctrinam de obedientia, & subiectione, opportune cadit sermo de Prælati. Igitur de eis dicemus, quæ pertinent ad ipsorum creationem, seu existentiam, (vt sic dicam) deinde, quæ ad potestatem & obligationes ipsorum; quæ in tali creatione fundamentum habent.

CAPVT I.

Vtrum in religioso statu aliquis Prælati requiratur iurisdictionem habens, & vnde illam habeat.

NON possumus religionum obligationes, in quibus tradendis versamur, explicare quoad eam partem, quæ Prælatos attingit, nisi de eorum existentia, & potestate, in quibus tales obligationes fundamentum habent, doctrinam, per nonnulla capita præmittamus. Supponendum vero, sermonem esse de statu religioso, vt nunc est in vniuersa Ecclesia, in regulari, & communi vita, nam, vt supra tactum est, & tractatu sequenti dicemus, inueniri etiam potest verus religiosus status in solitario & priuato viuendi modo, respectu cuius non est necessaria alia Prælatio, vel præcipiendi potestas, præter eam, quam intrinsece requirit obedientie votum, vt ex dicendis à fortiori constabit: & ideo de illo statu, quod ad præsens attinet, nihil aliud dicere necesse est. De alio vero statu communitatis religiosæ per se notum videtur in illo necessarium esse aliquem, qui cæteris præsit, præcipue si hoc non restringamus ad vnam personam, sed indefinite loquamur de vno gubernatore, siue illa vna persona sit, siue vnum consilium ex multis personis constans: sic enim impossibile est humanam communitatem sine gubernatore consistere. *Vbi enim non est gubernator* (dixit Spiritus Sanctus Prou. 11.) *populus corrumpitur.* Quod si de omni communitate hoc verum est, multo magis de religiosa, in qua summus ordo ad perfectionis profectum necessarius est. Et ideo in eo statu speciali titulo & ratione necessaria est obedientia, vt tomo præcedenti vidimus. Simili ergo modo necessarius est Superior, cui obediatur: & ideo omnes religionum institutores hoc primum in hoc genere viuendi statuunt, vt scilicet in eo sit aliquis Præfectus, cui cæteri perfecte obediunt, vt satis ostensum est tractando de necessitate obedientie: hæc enim duo correlatiua sunt. Quauis autem de absoluta necessitate hoc non restringatur ad vnam personam, vt dixi, tamen Franc. Suar. de statu relig. Tom. I V.

men moraliter loquendo, necesse est vsum huius regiminis ad singulares personas reduci, quia fieri non potest, vt singula, quæ agenda, vel præcipienda occurrunt, plurium communi consilio disponantur, vel ordinentur. Posset autem ordinaria potestas etiam immediata, solum esse in communitate, seu consilio aliquo, licet per Vicarios proxime administranda esset: illud autem regimen non esset religioni conueniens, quia imperfectum est, & ordini religioso minus accommodatum. Ideoque in omnibus religionibus monarchicum regimen, saltem quoad proximam gubernationem vsu receptum est. Est enim hoc regimen omnium perfectissimum, teste Aristot. 8. Ethic. cap. 10. & confirmat D. Thom. 4. contra Gent. cap. 76. imo Christus Dominus docuit, dum in sua Ecclesia perfectam monarchiam esse voluit, vt in tom. de fide ostendi. imo & natura ipsa hoc persuadere videtur, dum vnum tantum supremum Principem, Deum scilicet, admittit, vt notauit Cyprianus in tract. de Idolorum vanitate. Status ergo religiosus ratione suæ perfectionis monarchiam etiam maxime postulat. Requirit ergo non solum vnum gubernatorem, sed etiam vnum caput, quod singularis persona sit: in hoc enim differt monarchia à cæteris politijs.

Est autem ex superiori tomo recolendum, in Prælati religionum duplicem posse intelligi potestatem, iurisdictionis scilicet & dominij. Dicendum ergo secundo est. In hoc statu necessarius est superior, qui potestatem dominatiuam habeat; iurdictio vero non ita illi necessaria est. Prior pars sufficienter est in illo tomo declarata, & probata: nam traditio, & votum obedientie sunt de necessitate status religiosi: ergo & potestas dominatiua in Prælato est necessaria in hoc statu: nam hæc duo sunt quasi correlatiua, vel tanquam causa, & effectus; nam ex traditione, quæ fit ex parte religiosi, sequitur dicta potestas in religione à qua in superiore transfertur. Altera item pars probatur, quia prædicta potestas sufficit ad gubernationem economicam: hæc autem, si sit accommodata disciplinæ religiosæ, sufficit in rigore ad religiosum statum. Maior patet in seculari gubernatione domus, in qua pater habet huiusmodi proportionalem potestatem in filium, vir in uxorem, dominus in seruum, & illa sufficit ad politicam gubernationem. Minor autem patet, quia religiosus status sufficienter saluari potest in communitate vnius domus, cuius gubernatio & viuendi modus ad perfectionem charitatis ordinetur: ergo in illius superiore sufficit prædicta potestas ad eundem finem, & vitæ modum accommodata. Quod si plures domus habeant inter se moralem vniorem, quæ vnum corpus politicum efficiant, præterquæ quod id non est simpliciter necessarium ad statum religiosum, etiam illud potest sufficienter saluari cum prædicta potestate amplificata, seu extensa quoad dominium cum sufficienti proportionem, siue id fiat per subordinationem obedientie plurium conuentuum, seu domiciliorum ad vnum superius caput, siue

II.

E

put, siue

put, siue per consensionem plurium Abbatum, seu superiorum conuentualium inter se; quamquam hoc secundum minus firmum est, & pluribus diffensionibus expositum.

III.
Varias ex-
empla pro
asserione
confirman-
da.

Confirmatur, & explicatur exemplis, primo monialium, in quibus nulla est iurisdicção spiritualis iuxta doctrinam D. Th. in 4. d. 19. & 25. communiter receptam, quam in tomo de censuris disp. 2. sect. 3. à n. 5. explicuimus, & tamen in illarum conuentibus est aliqua ceteris præfecta, siue Abbatissa, siue Priorissa, vel aliter nominetur, in qua est sufficiens potestas gubernatiua ad religiosum statum necessaria, argumento c. 2. de his, quæ sunt à Prælato, cū his, quæ ibi notat Abbas, & alij, & ex ipso vsu satis constat. Aliud exemplū est de antiquis monachis, qui regulariter non erant clerici, vt sumitur ex Dionysio c. 6. de Eccles. hierarch. Hier. ep. 1. ad Eliodorum, 4. ad Rusticum, & lib. contra Vigilantium, & ex alijs, quæ referuntur 16. q. 1. & infra tractatu sequenti de varietate religionum, latius de ea re dicemus: & tamen inter antiquos monachos erant Præfecti ac Superiores sufficientem habentes potestatem ad religiosum statum gubernandum, vt constat de illis antiquis Patribus Antonio, Hilarione, & Pachomio, imo etiam S. Benedicto, quem sacerdotem fuisse non legimus, imo non fuisse scribit Bonau. in expositione suæ regulæ, c. 7. fuisse autem vere Abbatem, id est, monachorum patrem, & superiorem, satis constat. Etq; optimum exemplum apud D. Greg. li. 1. Dialog. c. 4. de Equitio, qui, cū sacris ordinibus initiatus non esset, Abbas, & multorum monasteriorum Pater à Gregorio appellatur. Igitur ad hoc munus iurisdicção Ecclesiastica necessaria non est, sed sufficit prædicta potestas: nam in his viris laicis, quantumcūq; sanctis, Ecclesiastica iurisdicção esse non potest. Dices, in illis fuisse potestatem excommunicandi, vt ex regula S. Benedicti, & ex alijs colligi potest. Respondetur, in nomine excommunicandi esse æquiuocationem: nam illa, de qua Benedictus in sua regula loquitur, non erat censura Ecclesiastica, sed externa quadam separatio à conuersatione fratrum, vel in choro, vel in alijs occupationibus, seu exercitijs, vel in communibus colloquijs, quæ separatio solum erat per ordinationem, seu prohibitionem obedientiæ, vnde neque ipsum religiosum, neque alias personas eo modo ligabat, quo nunc ligat Ecclesiastica censura.

IV.
Arguitur
adhuc con-
tra secon-
dam partē
precedentis
asser.

Rursus vero obijciat aliquis, nunquam posse statum religionis esse aut conseruari sine Prælato habente potestatem iurisdicçãois, nec exemplis adductis oppositum probari, quia nec moniales sunt sine huiusmodi Prælato, nec religiosi vnquam fuerunt: solumque probant dicta exempla, non oportere Prælatum esse eiusdem sexus, vel eiusdem ordinis, non vero esse omnino nullum. Nam moniales vel subijciuntur religiosi viris tanquam Prælati habentibus iurisdicçãoem in illas, vel Episcopis, si exemptæ non sint: & tunc Episcopus non minus est proprius Prælatus earum, quam sit Prouincialis, aut Prior circa sibi subiectos. Et similiter olim quando monachi erant mere laici, subijciuntur Episcopo tanquam proprio Prælato, vt sumitur ex citato loco Dionysij, & ex Hieronymo, & alijs, quos supra retulimus: & idcirco quia Episcopus per seipsum præesse non poterat, solebat substituere Presbyterum aliquem, cui vices suas committebat, vt colligitur ex Concilio Chalcedonensi c. 8. & ex regula Augustini, vbi distinguit Præpositum à Presbytero, & vtrique tribuit potestatem corripiendi religiosos, & vindicandi delicta: quia fortasse in Præposito erat tantum potestas gubernatiua; in Presbytero autem erat etiam Prælatus, & iurisdicção: & hoc significant illa verba, quæ ha-

bentur in fine regulæ, Præposito tanquam patri obediatur, multo magis Presbytero, qui omnem vestitum curam gerit. Vt ergo cuncta ista fermentur, & si quid seruatum minus fuerit, non negligeret præter eas, sed vt emendandum corrigendumque cures, ad Præpositum præcipue pertinet, vt ad Presbyterum, cuius est apud vos maior auctoritas, referas quod modū vel vires eius excedit. Erat ergo in Presbytero maior potestas, quam in Præposito, quæ non videtur alia fuisse nisi iurisdicçãois: ergo nunquam hæc defuit in Prælati religionum. Et ratio sumi potest ex prædictis verbis Augustini: quia hæc potestas moraliter necessaria est ad perfectam gubernationem talis status, tum ratione directionis perfectæ, tum etiam ad maiorem coactionem vbi fuerit necessaria.

Hæc argumenta conuincunt plane quod intendunt, solumque posita sunt vt verum sensum asseritionis posita explicemus. Duobus enim modis intelligi potest, Prælationem cum iurisdicçãoe esse necessariam ad statum religiosum. Primo, vt talis iurisdicção, & Prælatus esse debeat specialiter commissa ipsi religioni, vel alieui personæ eiusdem ordinis, & professionis. Et hoc modo negamus esse necessariam propriam Prælationem cum potestate iurisdicçãois intra ipsam religionem: & hoc conuincunt exempla adducta in numero, quibus addi potest exemplum, quod nunc etiam extat, religionis laicorum institutū ad curandos infirmos in publicis Xenodochijs eorum curæ commissis: illi enim inter se proprios habent Præfectos, quibus obediunt, illi tamen iurisdicçãoem propriam non habent, sed in Episcopis residet. Alio modo potest intelligi hæc iurisdicção necessaria in aliquo Prælato Ecclesiæ, qui ratione illius dici poterit Prælatus religiosorum: & hoc modo euidenter est talem Prælationem, & iurisdicçãoem esse necessariam, vt probat discursus numero præcedenti factus: & præterea, quia non potest esse in Ecclesiā aliquis status, quin totus subiectus sit iurisdicçãoi Prælatorum, & Pastorum Ecclesiæ, secundum aliquem modum vel immediatē à Christo, vel ab ipsa Ecclesiā institutum: quod magis ex sequenti asseritione, eiusque declaratione constabit.

Dico ergo tertio. In religionibus exemptis, quales nunc fere sunt omnes religiones virorum, necessarii sunt Prælati proprie dicti habentes spirituales, imo & Episcopalem iurisdicçãoem. Conclusio est certa, & communis Doctorum, quos statim referemus, constatque inductione iuxta præsentem Ecclesiæ vsū: nam & monachales Ordines, & Mendicantes (ad quas reducuntur alij, qui cum illis communicant, vel participant) habent huiusmodi Præpositos cum propria potestate, & iurisdicçãoe. Ratio autem necessitatis, supposita exemptione, est efficax, quia eo ipso, quod religio à iurisdicçãoe Episcoporum eximitur, manet immediate subiecta solius Pontificis iurisdicçãoi; non poterat autem conuenienter gubernari immediate per solum Summum Pontificem, aut per Commissarios, vel Delegatos ab ipso, quia in omni congregatione necessarii sunt Pastores ordinarij, quibus eius cura ex officio incumbat: ergo, si huiusmodi Pastores proximi non sunt Episcopi, necessarium est, vt sint Prælati proprii vniuersiusque religionis. Atque hinc inferunt communiter Doctores, Præpositum Generalem, Prouincialem, & localem, seu conuentualem vniuersiusque religionis approbatæ à Summo Pontifice, & exemptæ, esse vere ac proprie Prælatos, vt patet ex Glossa in Clem. 1. de Elect. verb. Prælatus. vbi Cardinalis, & alij. Sumitur ex Panorm. in cap. cum ab Electis, de Offic. Ordin. vbi distinguit duplicem acceptionem huius vocis Prælatus: vnam late, secundū quam etiam

etiam Parochus dici potest Prælati, quatenus suis Parochianis præstet aliam propriam, & iure vñtatem, secundum quam solus ille, qui habet iurisdictionem spiritualem, & ordinariam fori contentiosi, Prælati dicitur, ut sumitur ex cap. 2. iuncta gloss. vlt. de iudicijs. Cum ergo Superiores religionum iurisdictionem habeant spiritualem fori contentiosi, eamque ordinariam, nam ex vi proprii muneris eam habent, unde & delegare illam possunt, Prælati proprie dicuntur, ut latius docent etiam Syluest. & Angel. verb. *Prælati*. Et hæc de 1. p. tituli.

Tractatur secunda pars tituli de origine iurisdictionis Prælatorum Regularium.

VII. Ex dictis facile definitur questio hic occurrens, unde, aut quo iure habeant hi Præfecti religionum ut Prælati sint, id est, ut habeant hanc spirituales iurisdictionem. Quidam enim putant habere illam iure diuino, quod grauissimos Doctores docuisse, eos tamen non referens, dixit Medina, li. de Indulgentijs, cap. 24. eandem sequi videtur, & suadere conatur Emmanuel Rodrigues to. 1. Regularium quest. q. 17. art. 2. & Miranda in Manuali Prælatorum tom. 1. quest. 13. articulo 4. conclusionem 1. Argumentantur primo, quia Prælati Ecclesiæ sunt, qui habent iurisdictionem illam, de qua dictum est Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus*. nam iuxta communem interpretationem Chrysostomi, & aliorum, nomine Ecclesiæ, Prælati ibi intelliguntur; sed Præfecti religionum sunt vere Prælati: ergo habent iurisdictionem iure diuino. Secundo, & in idem redit, quia Christus ibi, cum dixit, *Quæcunque ligaueritis, &c.* ad omnes Prælatos Ecclesiæ loquitur est: sed inter hos Prælatos sunt Superiores religionum: ergo habent iurisdictionem ex vi verborum Christi, atque adeo ex iure diuino. Tertio, Episcopi habent iurisdictionem iure diuino, ut est multorum sententia; sed Prælati religionum habent iurisdictionem Episcopalem, vel quasi Episcopalem, ut dicitur in cap. *Abbas*, de Priuilegijs, in 6. & notat gloss. in Clement. vnica, de rebus Eccles. non alien. verb. *Proprii*. ergo per argumentum à simili etiam illi habent iurisdictionem ex iure diuino. Quarto, religio instituta est à Christo; sed religio non potest consistere sine Prælati eiusdem ordinis habentibus iurisdictionem: ergo habent illam à Christo. nam qui instituit aliquem statum, sine dubio dat omnia necessaria ad illum. Maior supponitur ex supra dictis. Minor sumitur ex ratione iuris statuentis, ut religiosorum Prælati eiusdem habitus, & religionis sit: cuius rationem reddit Innocentius III. in cap. *cum causam*, de Electione. Quia secundum legem diuinam non est in boue arandum, & asino: id est, ut exposuit Concilium Hispalense II. cap. 9. cap. in nota, 16. quest. 7. *homines diuerse professionis in officio vno non sociabuntur: nam coherere (ut ibi dicitur) & coniungi non possunt, quibus & studiis, & voia diuersa sunt*. Vnde in Clem. 1. de Elect. sic dicitur, *Cum rationes non congruat, ut homines dispari professionis, vel habitus, simul in eisdem monasterijs socientur, prohibemus, ne religiosus aliquis in abbatem vel Prælatum aliter religionis, vel habitus de cetero eligatur*. Est ergo hæc institutio ex natura rei intrinseca huic statui.

VIII. Hæc sententia noua est, & sine dubio falsa: qui enim fieri potest, ut sic de iure diuino, quod ab Ecclesiæ non semper fuit obseruatum? ostendimus autem num. 3. in antiquis religionibus fuisse spirituales Patres, seu Præfectos, aut Abbates sine propria & spirituali iurisdictione. Vnde certum est, institutionem hanc habuisse initium à summis Pontificibus, de statu relig. Tom. IV.

tificibus, atque adeo esse de iure humano, quod prædictus author non negat, sed ait, fieri posse, ut idem Prælati pluribus titulis, & rationibus iurisdictionem habeat. At hoc solum habet locum, ubi plures tituli non inuoluunt repugnantiam: at vero in præsentī, si proprie ac per se loquamur de origine iurisdictionis. Tunc enim iurdictio proprie dicitur esse de iure humano, quando ab homine immediate confertur: & è conuerso de iure diuino dicitur, quæ immediate datur à solo Christo; & ita vnus titulus istorum alium excludit: non potest ergo eadem iurdictio vtroque modo proprie ac per se haberi. Dico autem *per se*, quia si vnus titulus sit per accidens, non erit tanta repugnantia. Ut qui opinantur Episcopos habere iurisdictionem diuino iure, negant quidem per se habere ab homine: tamen quia non negant, nec negare possunt habere illam dependentem à Summo Pontifice, dicere possunt etiam esse ab illo saltem per accidens, tanquam à non prohibente, seu impediēte, cum possit, vel tanquam à confirmante, seu designante personam. Sed hæc non sunt satis ut iurdictio dicatur de iure humano: sic enim etiam iurdictio Summi Pontificis per accidens est ab hominibus eligentibus ipsum: nec iurdictio Prælatorum religionis est hoc modo ab homine, sed ut ab immediate, & per se conferente illam: nisi enim Summus Pontifex illam dedisset, nullum est diuinum ius, nullave Christi promissio, ex qua colligere possumus ipsum immediate illam conferre: maxime quod talis modus Prælationis immediate est institutus ab Ecclesiā, & non à Christo Domino, licet enim potestas illum instituendi fuerit à Christo, non vero ipsa institutio, nullibi enim ostendi potest, nec talis institutio fuit ex aliquo præcepto diuino positio, sed ex prudenti arbitrio Summorum Pontificum: nullo ergo modo talis iurdictio est proprie de iure diuino, nisi solum remote in generalibus principijs, & in potestate concedendi illam: quod euidentius fiet respondendo ad argumenta.

Ad primum negatur consequentia, sit enim illatio virtualiter in quatuor terminis: immediate enim solum infertur, Prælatum religionis habere iurisdictionem illam, ratione cuius dixit Christus, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus*. inde autem nihil infertur, quia Christus non dixit, omnes Prælatos Ecclesiæ habituros dictam iurisdictionem immediate ab ipso. Vnde, si ratio illa quidpiam valeret, probaret, omnes, qui in Ecclesiā habent potestatem excommunicandi, etiam Archipresbyteros, Archidiaconos, Priores, Abbates, & similes inferiores dignitates, habere illam iure diuino, quod plane falsum est, quia fere in his omnibus constat manasse iurisdictionem ex priuilegijs Pontificum, & humana institutione. Eademque est responsio ad secundum: fatemur enim verba illa, *Quæcunque ligaueritis, & solueritis, &c.* dicta esse pro omnibus Prælati; dicimus tamen adimpleri vel in multis, vel in omnibus infra Summum Pontificem per iurisdictionem mediante ipso Pontifice concessam. Vnde in his argumentis oportet aduertere, aliud esse, Prælatum habere iurisdictionem; aliud, quod obediendum sit Prælati iurisdictionem habenti. Primum non semper est immediate à Christo, nec ex præcepto eius: secundum autem est diuinum præceptum explicatum Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit*. quod suo modo naturale est, sicut obedire Regibus. Similiter participatio clauium non semper est immediate de iure diuino, sed per hominis concessionem; & nihilominus, supposita participatione clauium quod habeant effectum aperiendi, & claudendi, de iure diuino est, explicato illis verbis, *Quæcunque ligaueritis, &c.*

IX.

ritu, &c. hic autem non agimus de effectu clauium quasi in sensu composito, sed de ipsa clauium participatione per iurisdictionem quasi Episcopalem.

X. Ad tertium primo respondetur negando antecedens: probabilius enim credimus iurisdictionem Episcoporum non esse de iure diuino, ut tom. 4. & 5. tertia part. diximus. Secundo vero respondetur negando consequentiam, tum quia argumentum à simili debile est, maxime ubi tanta ratio differentia potest facile assignari: tum etiam, quia ex illo antecedente contrarium potius inferri debuisset. Itaque, si negemus Episcopos habere iurisdictionem iure diuino, inde à fortiori inferitur, idem dicendum esse de omnibus inferioribus Praelatis, siue secularibus, siue religiosis: si vero de Episcopis id admittimus, inde etiam colligimus de inferioribus non esse admittendum, primo quidem, quia hoc tanquam speciale habet aliquam rationem in Episcopis, quia eorum dignitas est de iure diuino, & quia diuinum præceptum est, ut Ecclesia per Episcopos regatur, iuxta illud Act. 20. *Posuit vobis spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Aliæ vero inferiores dignitates, quantum spectat ad potestatem iurisdictionis fori contentiosi, nec sunt ex institutione Christi, nec ex præcepto eius.

XI. Vnde argumentor secundo, quia quod religiosi sunt exempti à iurisdictione Episcoporum, non solum non est de præcepto diuino, verum etiam videtur potius quedam quasi dispensatio, vel limitatio iuris diuini, quod de se erat indifferens: ergo, quod religiosi habeant intrinsecos Praelatos, ut sic dicam, habentes propriam iurisdictionem, non potest esse de iure diuino. Patet consequentia, quia necessitas talium Praelatorum supponit dictam exemptionem: nam si religiosi essent subiecti Episcopis, per eos, eorumque Vicarios possent immediate gubernari in his, quæ ad iurisdictionem spectant, relicta eis tantum domestica administratione, ad quam potestas dominatiua, & votum obedientie sufficit: sicut olim fieri diximus, & nunc fit cum multis monialibus, & cum religiosis mere laicis. Antecedens autem per se notum videtur, quia hæc exemptio fuit privilegium voluntarium, quod proinde multo tempore concessum non est: & incepisse videtur aliqua ex parte à temporibus Gregorij I. qui monachos Sancti Benedicti vel omnino, vel magna ex parte à iurisdictione Episcoporum exemit, ut colligitur ex Concilio Lateran. sub eodem Gregorio I. & ex lib. 7. Epistolarum eius, epist. 18. & ex cap. 1. & 5. 18. quæst. 2. Alexander vero III. postea exemit Carthusianos, & Honorius III. Ordines S. Francisci, & Dominici, & deinceps hæc exemptio amplificata est, antea enim non erat adeo vniuersalis etiam vsque ad tempora Innocentij III. ut constat ex Concilio Lateran. sub eodem, can. 12. & ex cap. *clem. dictus*. de Relig. dom. nec fingi potest tanta necessitas postea suborta, quæ ex vi iuris diuini, aut naturalis Pontifices obligauerit ex præcepto ad hanc exemptionem faciendam. Nec dubito, quin de absoluta potestate possit nunc illam reuocare, ita ut factum teneat, quantum sine iusta causa iam id non recte fiat.

XII. Ad quartum respondetur inprimis distinguendo maiorem, nam status religionis præcisè quoad substantialia vota, est à Christo immediate institutus; ad illum autem, ut sic non sunt necessarij Praelati, qui religiosi sint, nedum eiusdem ordinis, & habitus. Quod patet, quia non est de essentia talis status, ut sit in communi vita seu congregatione, pro qua maxime posset esse necessaria dicta Praelatio. Status autem religionis, quoad omnes circumstantias, quas nunc habet, non est ex institutione Christi immediate, sed adiuncta Ecclesiasti-

ca prudentia ac dispositione, & ideo quantum in illo statu, prout nunc est, esset simpliciter necessaria dicta iurdictio, non sequitur datam esse immediate à Christo, sed pertinere potest, ut reuera pertinet ad eas circumstantias, quas Ecclesia addidit. Secundo dicitur, etiam in hoc statu prout nunc est invita communi, vel sub vno Praelato, iurisdictionem ordinariam in Praelato existentem non esse simpliciter necessariam ad conseruationem talis status, ut patet in monasterijs monialium, quæ immediate subduntur Episcopis, & in antiquis monasterijs monachorum. Quocirca ratio illa, quæ iura vtuntur, non fundatur in absoluta necessitate, sed in maiori congruitate, & prudentiori regimine, alioqui dispositio illorum iurum non esset constitutiua noui iuris, sed tantum declaratiua iuris diuini, quod est contra illam particulam, *de cetero*, quæ in dicta Clementina habetur. Ad præterea, illa decreta supponere statum religionum prout nunc est ab Ecclesia institutum, & non stando in mero iure diuino. Supposito enim, quod Ecclesia voluerit, ut religiosi habeant proprios & immediatos Praelatos ordinarios, distinctos ab Episcopis, valde consentaneum rationi est, ac fere necessarium ex ipsa rei natura, ut sint religiosi, & eiusdem ordinis, ut postea videbimus. At vero id, quod supponitur, non est de iure diuino, quia Episcopi possent esse proximi Praelati religionum. Vnde etiam nunc, ex communi sententia, ad Ecclesiam regularem, si sit Cathedralis, potest eligi in Episcopum clericus secularis, iuxta cap. *nullus*. de Elect. in 6. & argum. Clementinæ 1. de Electione, & c. *quod de simonem*, de statu regular. & notat Abbas in dict. c. *cum causam*, de Electione, n. 6. & rationem reddit, quia Episcopus propter excellentiam dignitatis suæ potest dici religiosus, & ideo potest religiosus immediate præesse. Ergo idem potuisset Ecclesia instituere de quocunque conuentu religioso, etiam Cathedrali Ecclesiam non habere.

Quod si quis dicat, non posse vnum Episcopum conuenienter tot conuentus immediate gubernare: dicitur inprimis, hoc esse accidentarium ratione multitudinis, non per se ratione status religiosi, quem consideramus. Deinde dicitur, potuisse singulos conuentus gubernare per Vicarios suos, qui non ordinariam, sed delegatam tantum iurisdictionem ab illo haberent, & ideo proprij Praelati non essent, iuxta doctrinam receptam, supra notatam ex Panormitano, Angelo, Syluestro, & alijs. Possent etiam hi Vicarij seu delegati in rigore esse seculares, quales videntur olim fuisse Presbyteri monasterijs præpositi ab Episcopis, de quibus mentionem faciunt Concilium Chalcedon. & Augustinus supra citati; quantum interdum etiam fuerint ex eisdem religiosis: quando enim inter monachos aliquis inueniebatur sacerdotio dignus, & ad illud munus aptus, ille potius eligebatur, quia negari non potest, quin ceteris paribus, hic ordo melior, & cōuenientior sit: & huiusmodi videtur fuisse Paphnutius ille, quem Presbyterum congregationis Scythiæ vocat, & summe laudat Calsianus collat. 3. cap. 1. & Daniel successor eius, de quo loquitur collat. 4. capite 1. Huc etiam spectat quod refert Epiphanius Epist. ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum, se ordinasse Sacerdotem quendam monachum reuentem, eo quod multitudo fratrum Presbytero careret. Sic etiam intelligo, quod refert Hieronymus in Epitaphio Paulæ, in Monte Nitria occurrisse Paulæ innumerabiles turbas monachorum, ex quibus multos sacerdotales, & Leuiticos sublimabat gradus: erant enim, ut fertur, in eo monte ad quinque millia monachorum, inter quos plures fuisse sacerdotio dignos, & aptos ad regem.

regendum alios, credibile est. Quod autem hi Presbyteri olim fuerint quasi Vicarij, vel coadiutores Episcoporum in hoc munere, canon 8. Concilij Calcedonenfis super citatus, satis ostendit, ubi præcipiuntur esse sub potestate Episcopi secundum traditionem sanctorum Patrum, & can. 4. statuit, Monachos per vnamquamque civitatem, aut regionem subiectos esse Episcopo. & idem colligitur ex canone 14. 54. & 56. Concilij Nisæni, quos refert Alphonsus Pissanus lib. 3. eiusdem Concilij, & præsertim est notandus 14. Si quis laicus fieri monachus voluerit, sine licentia Episcopi, qui illius monasterij potestatem habet, non est recipiendus; ubi supponitur, monasteria tunc fuisse sub potestate Episcoporum: quod expresse decrevit multo post Concilium Aurelianense tempore Simachi Papæ, can. 21. Abbates (ait) pro humilitate religionis in Episcoporum potestate consistant. habetur in c. Abbates. 18. quæst. 2. ubi multa alia similia ex varijs Concilijs referuntur. Ex quibus constat, Episcopos fuisse proprios Prælatos religiosorum, & Abbates aut iurisdictionem non habuisse, vel certe non nisi delegatam ab Episcopis, vel postquam ceperunt ordinariam habere, habuisse illam dependentem ab Episcopis, donec per privilegia exempti fuerunt. Quæ omnia sunt manifesta signa iurisdictionis per ipsos Episcopos, vel per Summum Pontificem concessæ, ex liberali gratia, & meliori quadam providentia, supposita varietate temporum, & religionum, non ex absoluta iuris divini necessitate.

XIV. Viterius vero quæri hic potest, utrum habeant hi Prælati iurisdictionem, ex communi iure civili, aut canonico. Cum autem hæc iurdictio spiritualis sit, clarum est non posse oriri directe ex iure civili, posset autem ei attribui, vel quatenus in eo explicatur aliqua ratio naturalis, quæ hoc postulat, vel quatenus in eo aliquid disponitur, quod à iure canonico acceptatur, eo ipso quod non rejicitur, ut verbi gratia, in lege vlt. C. de iurdict. omnium iudicum, disponitur, ut qui in aliqua militia connumerati sunt, his iudicibus subfint, qui eis in tali iurisdictione præfunt; nam hoc videtur potius naturale equitas & ratio. Facit deinde caput cum Ecclesiasticum, de officio ordinis, quatenus significat, vnumquemque Prælatum habere iurisdictionem in suam plebem seu congregationem sibi subiectam.

XV. Dico tamen iurisdictionem hanc, quoad religiones omnes non posse satis fundari in iure communi, quia nullum datur, quo vniuersum statutum sit, ut religio quatenus talis est, constet Prælati habentibus propriam & intrinsecam iurisdictionem. Nam, ut supra num. 2. probavi, non est de intrinseca ratione status religiosi, ut constet proprijs Prælati, iurisdictionem Ecclesiasticam habentibus, imo non semper illam habuerunt, nec modo habent omnes, præsertim moniales, & si quæ sunt religiones pure laicorum. igitur ex hoc præcisè, quod religio instituitur, vel etiam approbatur, non sequitur habere iurisdictionem, nisi ei insuper conferatur: nullum autem est commune ius canonicum, quod hoc statuatur, ut vi illius statim censeatur conferri. Non ergo datur, ex vi iuris communis. Nec dicta iura quidquam probant: nam utrumque supponit iudicem, aut Prælatum habentem iurisdictionem, & ea supposita, statuunt, ut ei pareatur. Circa illam vero legem aduertenda est vulgaris differentia, inter iurisdictionem civilem & Ecclesiasticam, quod civilis proveniat ab ipsa cõmunitate hominum: spiritualis à Christo in Papam, & per hunc in alios. Illa ergo lex loquitur de iurisdictione civili, quam communitas aliqua conferre potest suo præfecto, quem sibi in iudicem, & immediatum superiorem eligit, siue id faciat ad Franc. Suar. de statu relig. Tom. I. V.

miniculo ipsius iuris civilis, siue illo tantum non contradicente. Hoc autem non potest in exemplum adduci ad religiosos, de quibus agimus, quia eorum iurdictio debet esse spiritualis, & à capite manare. Circa alium vero textum canonicum est obseruandum in eo sermonem esse de proprijs Ecclesiarum Prælati, qui iurisdictionem habent fori contentiosi; nam hoc esset ratione Prælati in rigore sumpti, ut supra cum communi docuimus. Si ergo supponatur religio habere Prælaturam in hac significatione, clarum est eum habere iurisdictionem, & hoc solum probatur ex illo textu: attamen hoc ipsum est, quod quærimus, an videlicet Præfecti, seu Rectores religionum, vel quocumque alio vocentur nomine, ex vi iuris communis habeant, quod sint veri Prælati in dicto sensu, & hoc nec ex illo textu, nec ex alio probari potest.

Sed quæri tandem potest, quando inceperint religiosi habere Ecclesiasticam iurisdictionem. Respondetur de hoc initio non satis constare, neque idem pro omnibus posse assignari: nam cum non sit fundatum in iure communi, debet ad speciales concessiones reuocari: quæ concessiones factæ sunt aliquibus religionibus statim à principio earum; aliquando vero longa post tempora, quæ incerta sunt; & ideo propria singularum religionum indulta, vel historiarum, & antiquarum consuetudines, sunt consulenda. Videtur autem hæc iurdictio in religione S. Benedicti modo aliquo incepisse à tempore Diui Gregorij, ut significatur in c. quam sit necessarium, 18. quæst. 2. quanvis neque ibi expresse iurdictio eis concedatur, sed aliquæ exemptiones, vel immunitates, quas Episcopi violare non possint. Quandiu ergo religiosi fuerunt subiecti Episcopis, non videntur habuisse propriam iurisdictionem saltem ab Apostolica Sede, sed quam Episcopi delegare volebant; unde tunc proprie videtur hæc iurdictio incepisse cum primum exemptio religiosorum à iurisdictione Episcoporum incepit. Exemptio autem quoad integras religiones initium videtur habuisse à temporibus Alexandri III. Innocentij III. & Honorij III. Nam Carthusiensem ordinem Alexander III. exemptum, Innocentius vero & Honorius, mendicantes ordines, & deinceps Romani Pontifices similia privilegia alijs religionibus concesserunt. Ante hæc vero tempora videntur fuisse aliqua monasteria exempta, licet alia eiusdem ordinis subiecta essent Episcopo diocesis, ut colligitur ex capite cum dilectum, de religiosis domibus, & ex capite in singulis, & cap. vltimo, de statu monach. Et ita in diuersis monasterijs eiusdem ordinis fieri tunc poterat, ut vnus Prælatus iurisdictionem haberet, & non alius, sicut hodie sunt etiam monasteria monialium, quæ cum sub eadem regula, verbi gratia, Sancti Benedicti aut Francisci viuunt, alia tamen Prælaturam habent ordinariam, alia regularem. Iam vero hoc non est in usu, sed in omnibus religionibus tam clericorum, quam monachorum superiores propriam iurisdictionem habent: hinc siqui sunt subditi Ordinarijs, non videntur carere omnino iurisdictione saltem immediata, & quoad primam instantiam: de quo tamen consuetudo, & indulta Apostolica seruanda sunt, quia, ut dixi, inde manat hæc iurdictio.

XVI.

Quando caperunt Religiones habere iurisdictionem per specialem iurisdictionem.

Petrus Sutor lib. 2. de vita Carthusiensium tract. 3. c. 2.

CAPVT II.

Quotuplex sit religionis Prælatus, & quem inter se ordinem seruent.

I.

Non inquirimus diuersitatem Prælatorum in Triplex genere diuersis religionibus, sed in eadem: nam prior diuersitas magis solet esse de nomine, quam de re: in diuersis enim religionibus idem est proportio-nalis